



# PLANTAE RIFANAE NOVAE

## VEL MINUS COGNITAE

Auctoribus L. EMBERGER et R. MAIRE

### FASCICULE 2

(*Extrait d'un mémoire intitulé SPICILEGIUM RIFANUM, en cours de publication dans les Archives scientifiques du Protectorat français au Maroc.*)

**Echium canum** Emb. et Maire, n. sp. (sect. *Eleutherolepis* De Coincy). — Ab affini *E. sericeo* Vahl differt radice annua, foliis caulinis angustis basi attenuatis (nec rotundatis); acheniis cristarum acutarum et tuberculorum nitidorum expertibus; calyce 15 mm et ultra (nec 8 mm) longo; floribus longiuscule pedicellatis; bracteis et sepalis anguste linearibus (nec lanceolatis). Squamulae corollinae aequales pilosae valde distinctae. Corollae etiam adultae rubrae, exoletae tandem violascentes.

Hab. in lapidosis schistaceis, nec non in clivis margaceis Atlantis Rifani, in Callitrietis et Quercetis prope Aknoul, Boured; 800-1.200 m. Maio et junio floret.

**Thymus Riatarum** Humbert et Maire, n. sp. — Ab affini *T. commutato* Batt. differt calycis dentibus posterioribus longioribus, inde labio posteriore usque ad  $1/2$  (nec usque ad  $1/4$ ) fisso, anterioribus labium posterius superantibus; corolla pulchre purpurea; foliis tuberculorum albidorum expertibus; caespitibus extensis densissimis; floribus brevissime pedicellatis.



Hab in Quercetis et in pascuis rupestribus montis Tazzeke, supra urbem Taza, solo siliceo, 1.500-1.700 m., julio florens.

Hanc plantam, in Atlante Rifano quaerendam, opportunitatis causa hic descripsimus.

**Scrophularia ericalyx** Emb. et Maire, n. sp. — Ab affnibus *S. aquatica* L. et *S. auriculata* L. differt caulibus, foliis, sepalis plus minusve villosis; sepalis latissime albo-marginatis (nec angustius fusco-marginatis). Folia simplicia, longe pedunculata, apice rotundata, basi cordata.

Hab. in Cedretis montis Timellatin, solo arenaceo, 1.800-2.000 m., junio florens.

**Galium rifanum** Emb. et Maire, n. sp. (Sect. *Aparine* D. C., gr. *Leucaparine* D. C.). — Annum, gracile, exsiccatum plus minusve cinerascens l. fuscescens, nec nigrescens; caulis a basi ramosissimus, ramis plerumque dichotomis intricatis divaricatis, 4-costatis, laevibus. Folia 4-7-na, erecto-patula l. patula nec reflexa, inferiora obovato-oblonga obtusa, superiora lanceolata, omnia plana margine scabridulo parum revoluta, 1-nervia nervo subtuto prominulo sub apice evanescente (luce reflexa), apice brevissime mucronulata l. acuta. Panicula ampla confertiuscula, cymis dichotomiarum erectis; cymae confertiflorae, 5-15-florae; pedunculi breviusculi, cymam subaequant, scabriduli, erecti; pedicelli crassiusculi papilloso erecti l. erecto-patuli, nunquam reflexi, bractea lanceolata acuta vix mucronata breviores, flore et fructu maturo breviores. Corollae albo-cremeae extus papillosae, 1-1,5 mm diam., lobis 3-nerviis, ovatis, breviter et leviter acuminatis acutis. Fructus minuti, atro-fusci, tuberculis hyalinis validis exasperati; mericarpi semi-ellipsoidea l. subreniformia, 1-1,2 x 0,75 mm.

Hab. in lapidosis schistaceis Atlantis Rifani prope Souk-et-Tnin, ad alt. 1.300-1.500 m., junio florens.

Affinis *G. divaricato* Lamk et *G. parisiensi* L., a quibus differt foliis haud reflexis, caulibus laevibus, cymis densiusculis multifloris, corolla albo-cremea majore; *G. capitato* Chaub. et Bory, a quo recedit herba exsiccata haud nigrescente, foliis et bracteis brevioribus haud aristulatis, cymis minus densis, pedunculis pedicellisque crassioribus, fructibus majoribus validius tuberculatis; *G. glomerato* Desf., a quo differt corollae lobis haud aristatis, pedunculis et pedicellis crassioribus, pedicellis flore brevioribus, bracteis haud aris-

tulatis, cymis densioribus, floribus albo-cremeis nec dilute luteis; *G. Bovei* Boiss. et Reut., a quo recedit floribus colore, pedicellis post anthesim haud recurvis, etc.

**Leontodon eriopodum** Emb. et Maire, n. sp. (sect. *Apargia*) -- Ab affinibus *L. hispido* L. et *L. Balansae* Boiss. et Reut. differt foliorum basi dense fulvo-lanuginoso; a priore porro recedit pilis longe 2-4-furcis substellatis (nec breviter 2-4-furcis), achaenii paullo brevioris (6 nec 6,5-7 mm) pappo externo nullo l. e pilis 1-2 simplicibus constituto; a posteriore achaeniis brevibus (6 nec 10 mm), pappi setis minus numerosis, basi conspicue dilatatis nudis (nec usque ad basim vix dilatatas plumosis), involucri phyllis dorso adpresse incano-villosis (nec glabrescentibus l. setis sparsis rigidis praeditis), apice vix nevis albo-ciliatis (nec ciliis albis confertissimis albo-marginatis).

Hab. in rupestribus calcareis montis Azrou, 1.800-2.000 m., junio florens.

Algier Novembre 1927

---